



21
Bl. 89



I V V E N I
NOBILISSIMO, CLARISSIMO, DOCTISSIMOQVE
DN. IOHANNI
CHRISTOPHORO
KAETZLERO,

VRATISL. SILESIO,

CVM IS

die 29. Aprilis

A. O. R. MDCCXIII.

SOLENNI RITV

PHILOSOPHIAE MAGISTER

RENVNCIATVS FVVISSET,

DE PARTO HONORE

GRATVLABATVR

AMICVS AD ARAS

DANIEL HOCKH, Hung.

VITTEMBERGAE, EX OFFICINA KREVSIGIANA.



Nondum frondoso Sol prospiciebat ab Oeta,
Nondum Lux tenebras, et nondum sidera Coelo,
Purpureis inuecta rotis, Aurora fugarat,
Nondum lasciuos in gramina mollia Pastor
Duxerat aut hoedos, aut rupta fronte Iuuenos,
Nondum credebant uentis sua carbasa nautae,
Nondum Piscator capiebat arundine pisces

Securos; sed adhuc homines, uolucresque ferasque
Dulcis et alta quies, somnusque profundus habebat:

Vnica non patiens longae *Sapientia* noctis,
Ante diem lecto simulac surrexit eburno,
Prima suas grato recreantes membra sopore
Surgere de stratis operasque capeffere iussit
Virtutes comites: quæ dum sua pectora uelant
Vestibus, haud ulla macula uel labe notatis,
Diua petit, feriens excelso uertice nubes,
Hortum, magnificæ qui stabat proximus Aulæ,
Nectendis habiles flores lectura Corollis.

Sed nullus tanto fuit inueniendus in agro
Flos: nam tristis hyems; canos hirsuta capillos,
Postquam Custodes inhonesta fraude fessellit,
Sacrilega florum foedauerat agmina falce:
Post facinus trepido per inania nubila Curfu
Auffugit; metuebat enim, sed tristitia linquens
Excultis dextra *Sophies* uestigia Campis.

Haec ubi conspexit Coeli Regina, nefando
Indignata hyemis tantum licuisse furori:
Surgite, ait, flores, rapturaque reseruite Cultum,
Et patulis quaeuis se frondibus efferat arbor.
Nec mora: ueris opes redeunt: surgebat Acanthus,
Lilia surgebant candore placencia casto,
Et Rosa purpureo Superis accepta colore,
Et uiolae omne genus; surgebat florida Picris,
Et crocus, et magnae cui quondam gloria formae
Igne cupidineo proprios exarsit in artus,
Et quoscunque nouant uernantia tempora flores;
At Bacchi uites, et amicae uiribus ulmi,
Populus et myrtus, platanus, tenuesque myricae,
Flexipedes hederæ, et Victorum praemia palmae,
Et pinus, tiliaeque, et fagus et innuba Laurus,
Cyriaque Italicis latebra haud incommoda Nymphis,
Atque nemus totum sese ostentare recenti
Luxu coeperunt, et spargere frondibus umbras.

Ordine composito ueniunt, et iussa requirunt
Interea Sociae, quas his *Sapientia* dictis
Excipit: o quantis haec culta noualia damnis
Atque situ, Comites, niuibusque oppressa jacebant,
Antea quam haec nostri transissent limina passus.
Non certe poenas Vigilum meruisse cohortem
Arbitror exiguas, quibus heu! torpentibus, ultro
In nostram lugubris hyems irrepserat Aulam,
Laetaque funestis inuoluerat arua procellis.
Nunc etiam turpi squallerent omnia luctu,

Ni glaciem canasque niues, Boreamque Nothumque
Ad Scythicas procul hinc oras, Pontumque fugassem.
Vos igitur, fidae Comites, fidaeque Ministrae,
Enatos hodie flores frondesque canistris
Carpite non parcis: (: siquidem metuenda Colono
Ne qua recurat hyemis, uereor, nostrosque lacefsat
Per tot digestos noctesque diesque labores:)
Lilia prae reliquis, hederas, laurosque rosasque
Narcissum et palmas calathis mihi carpite plenis.
Prorinus egressae peragit mandata Sororum
Turba Deae, floresque legit, Dominaeque placere
Sedulitate studet, magnoque agit omnia nisu.
Talis apes aestate noua, per florea rura,
Exerces sub Sole labor, cum roscida mella
Conspiciant, et castra ferunt in cerea nectar.
Igneus aetheriam iam Sol concenderat arcem,
Cum Sociae innumeris oneratae floribus, aulae
Interiora petunt, in quibus *Sapientia* sedem
Fixerat: haec studio Comitum gauisa suarum
Plectere non solita mandauerat arte Coronas
Hospitibus, magni quos adductura Galeni
Cura fuit, (: placuit Diuae Probitasque Fidesque
Doctaque Sedulitas, atque experientia rerum
Summa Viri, et tantis bene sufficientia curis
Dona animi:) ipsa hederam, uitem, fulcumque corymbum
Et platanum genialem, et lilia cana repente
Arripit, et magno nectit conamine serum:
Haud secus et Comites iuuat indulgere labori,
Officioque Deam uenerari iussa petentem
Assiduo. Studiis dum talia sede geruntur
Sollicitis, tonuere Lyrac, crepuere pharetrae,
Phoebus adest, comperta refert: rediisse Galenum,
Atque haud sperendam secum adduxisse Cohortem,
Exquirat, quidnam fieri Regina iuberet?
Intereaque Deae mira adspicit arte coronam
Contextam manibus: quisnam alter Victor ab Indis
Hoc munus referet, dixit, uel carmine Vates
Ingenioque ualens? O terque quaterque beatum!
Cui tanta ex *Sophies* exurgit gloria dextra.
Dixerat at *Sophie*: procul hinc, procul este profani!
Scilicet ista manus praebebit ferta Lyaeo!
Non Semeles pueris, nec natis ista parantur,
Dona tuis, ualeant infausta sorte Poetae
Damnati, et studium nullis fatis utile rebus.
His contentus abi, peregramque immitte phalangem
Cum Duce. Non-solito Diuae sermone rotatus
Ingemuit Phoebus, moxque, ut mandata seuerac
Impleuit Dominae, tacitus discedit ab aula,
Exilii paucos sibi delegisse sodales
Contentus, Cytharam capit et miserabile carmen
Integrat, et moestis late loca quaestibus implet:
Ingeminant luctus, et flentia carmina cautes,
Litora triste sonant, resonant quoque flebile ripae:

Quo ferar, aut fugiam, quando artibus, inquit, honestis
 Nullus in orbe locus, nulla emolumenta Laborum?
 Dum Phoebus luget, praegrandia dona recenti
 Tyronum turbae vultu dat Diua sereno:
 Temporibus, KAETZLERE, tuis, illustre lapillis
 Imponit Regina decus, quod magnus Apollo
 Viderat, hinc ad Te claris ita uocibus inquit:
 Tu cape, quam Phoebus solos gestare Poetas
 Possè putat, nitidam gemmis auroque Coronam:
 Te decor iste decet: tua sic Pietasque Fidesque
 Postulat, et Candor, tua sic Facundia poscit
 Quae toties Diui magna cum laude Lutheri
 De cathedra, Populo semper plaudente, perorat:
 Nam tu, siue libet pariter cum grandine nimbos
 Spargere, seu cupias in nodum cogere uoces,
 Vim luperas Ithaci, breuitatem uincis Atridae:
 Dulcia seu maus, pronoque cadentia cursu
 Verba, nec obscuro, sed aperto fundere flore,
 Inclyta Nestorei cedit tibi gratia mellis.
 Nunc igitur meritas laudes et praemia, Nate,
 Accipe, quae *Sophie* tibi dat Comitumque Caterua.
 Si tamen et posthac meliora capesere dona
 Expetis, a surgat tua semper in ardua Virtus,
 Exemplo celeris missae in sublime sagittae
 Aut Aquilae, quae rapta suis super aethera pennis
 Sidereisque propinqua locis sua lumina Soli
 Credit: habes aditum mansurae in secula famae,
 Si Virtute Tuae Natumque Virumque Sororis
 Anxius ardenti posthac imitaberis cura.
 Denique selectae iubet assignare Cohorti
 Oppida, perpetuo uiridi florentia Pace,
 Ruraque crudelem nunquam metuentia Martem
 Et caedes, uerum Elysiis aequalia Campis.
 O fortunatos *Sophies*, sua si bona norint,
 Hos Ciues! quos nulla manet fraudisque dolique
 Suspicio, sed summa quies expertisque dolorum
 Aetas, cui similem primi colucre Parentes:
 Speluncae, uiuique lacus, et frigida Tempe
 Et Ver perpetuum, laetique ad litora cantus,
 Et faciles, umbras spargente sub arbore, somni,
 Vitaque diues opum, nullique obnoxia furo
 Efficit, ut Cyri spernant et Adonidis hortos.
 At Phoebus, Comitumque cohors erroribus urbes
 Innumeris, terras omnes, atque aequora lustrat.
 Non illum ueniens uisus Aurora capillis
 Cessantem cernit, neque ferae nuncius horae:
 Quas iam per terras, et quas errauerit undas
 Dicere longa mora est: quaerenti deficit orbis.
 Vtere forte tua, qui, non Phoebaea fecutus
 Signa, tuum nomen *Sophiae*, KAETZLERE, dedisti,
 Et post promeritos nunquam cessante labore,
 Felix cum Titulo semper gere frontis honores.





Ung VI 4

(x 2743293)




U 17
U 18





dich dann vermählen?
erwählen?
Wann zu ziehen?
kommen stehen/
de gehen:
ich will mit Ihm!
agen?
agen?
igt bis in den Tod?
im Verlangen;
umfangen:
kommt von **WOL!**
s auch regieren/
ren/
Hand:
eitet /



I V V E N I
NOBILISSIMO, CLARISSIMO, DOCTISSIMOQVE
**DN. IOHANNI
CHRISTOPHORO
KAETZLERO,**

VRATISL. SILESIO,

CVM IS

die 29. Aprilis

A. O. R. MDCCXIII

SOLENNI RITV

PHILOSOPHIAE MAGISTER

RENVNCIATVS FVISSET,

DE PARTO HONORE

GRATVLABATVR

AMICVS AD ARAS

DANIEL HOCKH, Hung.

VITTEMBERGAE, EX OFFICINA KREVSIGIANA.